Pudlowski Stanislai: Quaestio de annuis reditibus.

et altera.


~~2660 [illegible]~~

QVÆSTIO
DE
ANNVIS REDITIBVS.

Per

M. STANISLAVM PVDLOWSKI,
I. V. Doctorem, pro loco inter I. V. Doctores obtinẽdo, in Almâ Academiâ Cracouiensi, publicè ad disputandum, die XIX. Decembris. Anno Domini, M. DC. XXXIV. proposita.

CRACOVIÆ,
In Offic. Typ: Matthiæ Andreouiensis.



Inserta vt fuluo precium dat gemma metallo:
Sic Regale, sacro fulget honore decus.

SERENISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CAROLO FERDINANDO

DEI GRATIA, POLONIÆ, & SVECIÆ PRINCIPI,

EPISCOPATVS VRATISLAVIENSIS ADMINISTRATORI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

PAtere, SERENISSIME PRINCEPS, in conspectum Tuum prodire, pauculas has Theses, de Annuis reditibus, publico certamini propositas. Quæ quia amplissimi Nominis Tui splendore collustrari ambiunt, ausum hoc cæteri; illæ sudebitæ submissionis officium dicunt: gestiunt quippe aspici à Domino; in cuius fundo natæ, & altæ sunt. Cum enim nonnulla, quæ his disputantur,

n crimen, & prauitatem, anteactis
seculis, à plerisq; vocabātur; profu-
t à Tuis Vratisluiensibus de his du-
bitatum fuisse, vt sacris Canonibus
insererētur, & Martini V. Pontificis
Max. Rescripto probarentur, raro e-
xēplo, in isto Sarmatico orbe: in quo
nihil minus Sarmaticum; quàm tales
contractus, vniuersus orbis laudauit.
Quid igitur mirum, si dum in publicū
certamē prodeunt, in Te Herū suum
vernaculæ reflectunt oculos? O be-
atas! si tanto Patrocinio frui conti-
gerit. Quas, vna cum meis, in Iuridi-
co studio, contentionibus, ad pedes
Serenitatis Tuæ.

æternùm demitto

STANISLAVS PVDLOWSKI.

QVÆSTIO
De Annuis Reditibus,

Ex c. ad nostram. de empt. & vendit. iunct. l. 2. si fundum. C. de pact. int. empt. & vendit. compos.

Vtrum Ius exigendi, & percipiendi annuũ reditum, ex personâ, vel re alterius, ijsdem causis, quibus rerum Dominia, interueniente traditione, vel quasi, acquiruntur, in perpetuum, vel ad tempus, simpliciter, vel cum pacto de retrouendendo, licitè, & citra prauitatem vsurariam cõstitui; & ijsdem modis, quibus aliæ obligationes tolluntur, dissolui possit, necne?

CONCLVSIO I.

Annuus reditus, est ius exigendi, & percipiendi annuam pensionem, ex personâ, vel re fructiferâ eius; qui nobis, ad illam soluendam statis diebus, est obligatus.

COROLLARIA.

1. *Multum differt ius percipiendi annuos reditus, à mutuo vsurario, antichresi, pignore, Annona ciuili, seruitute reali, vel personali.*

2. *Falluntur vehementer, qui antiquis ius percipiendi annuos reditus, etiam sub pacto de retrouendendo, fuisse incognitum, temerè affirmant.*

3. *In iure redituum considerando, non tam rerũ, quæ præstantur, quàm ipsius exigendi facultatis ratione habitâ, dicimus hoc ius esse incorporeum: & perconsequens, si determinandum sit, an rerum mobilium, an immobilium loco haberi debeat, inter immobilia, reponendum esse.*

4. *Personalis reditus constitui potest, in personâ industriosâ, & fructuosâ, habente bona in spe, vel re, & quæ sese obligandi ius, & potestatem habet.*

5. Realem reditum omnibus constituendi facultas, in rebus suis fructiferis, datur; quibus & personalem constituere permissum est.

6. Non minus annuus reditus constitui potest, in censibus perpetuis, quæ naturam immobilium obtinent, exempli causa, in iuribus vectigalium; quàm in rebus cæteris fructiferis.

7. Annuus reditus legatus, statim ab initio anni; ex contractu constitutus, in fine ordinariè solui, nisi aliter conuentum fuerit, debet.

CONCLVSIO II.

Quibus causis traditione, vel quasi, interueniente, Dominium acquiri solet; iisdem & annui reditus constitui possunt.

COROLLARIA.

1. Per constitutionem census, titulo oneroso, Dominium directum, & vtile, rei, & pecuniæ meæ, in debitorem census transfertur.

2. Locatione, conductione, commodato, precario, Ius reditus annui, nullo pacto constitui potest.

3. *In reditibus annuis, quos causæ,* συνάλλαγμα *recipientes, constituunt, æstimandis, ratio habetur, iuxta quantitatem precij, in emptione, & venditione seruandi: minus tamen districtè in permutatione, & transactione; quàm in reliquis.*

4. *Stipulatio obligationi annuum reditum constituenti adiecta, firmandæ, & supplendæ eius causa apposita esse censetur.*

5. *Causæ omnes liberales, & ex quibus solummodo* μονοπλεύρως *obligatio nascitur, non minus reditus annuos, quàm superiores, constituere possunt, habitâ æstimatione iustâ, rei fructiferæ.*

6. *Absq; legitimæ causæ consideratione, præstatio annui reditus, ne immemorabili quidem præscriptione, ius firmat.*

7. *Incertus census super re fructiferâ constitui potest, cuius dominium sub reseruatâ certâ quotâ fructuum, in alium transfertur.*

CONCLVSIO III.

Annuus reditus in perpetuum, vel ad tempus, simpliciter, vel cum pacto de retrouendendo,

dendo, iusto precio interueniente, licite, & citra prauitatem vsurariam, cōstitui potest.

COROLLARIA.

1. *Pacta æquitati, & naturæ IurisRedituum repugnantia, quia non tam firmare, quàm dissoluere contractum censentur, cautionibus appositis non iuuantur.*

2. *In constituendo annuo reditu, illud creditur iustum precium, quod cōmunis hominum æstimatio obseruauit: habitâ ratione non minus ad qualitatem rei, quæ obligatur, quàm ad ipsius fructus.*

3. *Potest lege, vel statuto definiri iustum precium censibus, & reditibus annuis emendis.*

4. *Census perpetuus irredimibilis, propius accedit, ad veram rei fructiferæ æstimationem; secus ad tēpus constitutus, personalis, vel redimibilis.*

5. *Pactum de retrouendendo, quia est pars precij, diminuit iustum precium, quo res absq; pacto æstimanda esset: unde tantò maior est facienda æstimatio census; quantò est restrictior libertas redimendi.*

6. *Non minus magnitudo precij, quàm tenuitas,*

itas, contractum annui reditus, iniquum & suspectum arguere solet.

7. Possunt partes inter se pacisci; vt non nisi intra certum tempus, vel elapso certo tempore, censum redimere liceat.

CONCLVSIO IV.

Ius percipiendi annui reditus, ijs fere modis, quibus aliæ obligationes dissolui solent, extingui potest.

COROLLARIA.

1. Oblato solenniter, deposito, & consignato precio annui reditus, iuxta pactum de retrouendendo, vel prout alias inter contrahentes conuenerit, cursus annuorum redituum sistitur.

2. Concurrente modicitate precij, lapso tempore ex pacto reuenditionis, adhuc debitor de æquitate annuum reditum redimere potest.

3. Quando non constat, quale precium refundi debeat, pro censu annuo redimendo, videnda est ea de re consuetudo: vt eo precio redemtio fiat; quo

quo eiusdem quantitatis alius census possit comparari.

4. Non tantum debitor census ius extinguendi reditus habet, sed & alius pro eo precium soluens, reditum supprimere potest: verùm illum sibi acquirere non potest.

5. Reditu in solis fructibus constituto, Possessor, quem omni fructu, sine sua culpa, frustrari contingit, ad præstandum reditum illius anni non obligatur.

6. Pereunte substantiâ, & facultatibus Censitæ, cui imponitur census personalis, obligatio census non perit, sed ob paupertatem Censitæ consopitur; donec ad fortunam pinguiorem venerit.

7. Annuus reditus merè realis, re obligatâ pro parte, aut totâ pereunte, simpliciter & non ad tempus, perire & ipse debet pro toto, vel ratâ parte.

Disputabitur in Lect. DD. Iurisconsultorum. Hora



sub felicibus auſpicijs Perilluſtris Admod.
Rndi & Magnifici Domini,

D. IACOBI NAYMANOWICZ

I.V. Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cracouienſis, Archidiaconi Pilecenſis, &c. &c. Vniuerſitatis Crac. Generalis Rectoris.